DE TYPHO ABDOMINALI NONNULLA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. M. JULII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LUDOVICUS SCHROEDER
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

TH. CORLIN, med. et chir. Dr.
L. SCHULTZE, med. et chir. Dr.
R. VIRCHOW, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Morbi notio est initium morbis mederi.

Galen.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

LUDOVICO SCHROEDER

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

FILIUS.

PROOEMIUM.

Pavidus quidem, sed legibus academicis satisfacere coactus, quippe summos in medicina et chirurgia honores appetens, ad conscribendum opusculum me accinxi. Quis autem est, qui flagitet, ut tiro in arte, quam ut ita dicam, vix delibavit primisque labris gustavit, jam aliquid novi invenerit, inventumque doctissimorum virorum judicio probetur? Morbum igitur, cujus observandi facultas mihi

saepius in nostro caritatis nosocomio dabatur, descripturus a vobis peto, Lectores benevoli, si quid desideriis vestris non respondeat, ut indulgentia me prosequamini. Valete!

De typhi abdominalis natura multae medicorum sunt discrepantesque sententiae; plurimorum autem judicio morbi natura in inflammatione glandularum, in infima intestinorum ilium parte usque ad valvulam Bauhini sitarum, consistit, quae glandulae morbo progrediente suppurare et exulcerare incipiunt, quo tempore pro alvi, ut fere semper fit, obstructione diarrhoeae accedere solent, quae, ut scrutatio microscopio facta ostendit, magnas suppuratione dejectas membranae intestinorum mucosae partes demittunt.

Sunt quidem medici, qui, haud scio an recte, has intestinorum exulcerationes, aut imperfectae crisis symptomata, aut metastases esse velint; hi exulcerationes illas cum imperfectis cutis externae criticis exanthematis comparant, quam-

quam haec typhi abdominalis prodigia in membrana intestinorum mucosa similia esse illis, quae in typho petechiali in cute externa appareant, alii contendunt (1).

Illis autem symptomatis pathologicis in membrana intestinorum mucosa apparentibus febris nervosa accedit, consensu male affectorum nervorum abdominis cum cerebro effecta, quae febris plerumque torporis forma invenitur, quamquam erethismi quoque naturam, quin etiam, praesertim initio, characterem synochalem prae se ferre potest.

Intestinorum affectiones et ex illis doloribus, quibus aegrotus, regione iliaca dextra compressa, vexatur, et e ventre tamquam aëre tumefacto, et e murmure, quasi ebulliente, in intestinis audito cognoscuntur. Simul aegrotus

---

(1) Quod ad has intestinorum exulcerationes attinet, a multis iisque valde egregiis viris, exempli gratia a Bretonneau, Broussais, Louis, causa typhi abdominalis, ab aliis autem, inter quos Hufeland, Chomel, Koehler (Hecker's Annalen 1835), quasi e febri typhosa exortae creditae sunt.

in primo morbi stadio alvo non soluta ob imperfectam glandularum intestinalium morbose affectarum secretionem laborat, nisi forte morbus aut e gastrica, aut catarrhali, aut rheumatica affectione ortus est, ubi saepe accidit, ut illa diarrhoea jam initio deprehendatur, quae alias nonnisi sub primi, aut secundi stadii finem apparere solet.

Si tamen aegrotum jam magnus torpor complectitur, illum dolorem, qui regione iliaca dextra compressa oritur, spasticis musculorum oris distortionibus, vel magno suspirio gemituque annuntiat.

TYPHI ABDOMINALIS DECURSUS.

Morbi tempus tria stadia, certis illa terminis circumscripta, complectitur, quorum unumquodque septem diebus finitur, quamquam interdum accidit, ut symptomata tertii stadii ner-

vosa praeter aliquantulam artuum lassitudinem et tanquam solutionem non appareant, morbi igitur decursus contrahatur, id quod saepissime quarto vel septimo die, postea nunquam usu venit. Attamen his signis aegrotus ex morbo nondum recreatus nobis putandus est, nisi crises simul appareant. Verum e contrario saepe evenit, ut typhus abdominalis fines supra dictos uno et viginti, quin viginti octo diebus producat.

STADIUM GASTRICUM SEU INFLAMMATORIUM.

Aegrotus magnam artuum lassitudinem queritur, lingua pituita tenace obducta, quasi coactilibus similis, facile arescit et ad margines rubescit; postea autem labia gingivaque pituita fusca et fuliginosa obteguntur. Regione iliaca dextra compressa aegrotus dolore satis vehementi corripitur, simul in intestinis murmure

quasi ebullienti animadverso; quae symptomata sub finem stadii primi augentur, quo tempore saepe diarrhoea, aegroto magnum languorem afferens, supervenit; urina turbida, lurida, male olens (urina, quam dicunt jumentosam.)

Febris ipsa, ut fere semper fit, a frigore, quod ardor continuus sequitur, initium capit, exacerbationes sub vesperum incidunt, pulsus frequentissimus, saepe centies et tricies, quin saepius repetitus, parvus, imbecillis, facilis compressu, interdum vibrans, inaequalis. Nonnunquam, quamvis raro, morbo ineunte paululum tensus exsistit. Cutis arida, aspera, fervens, quandoque frigidis tenacibusque sudoribus obtecta.

Typhi abdominalis quaedam appendix, saepe illa inventa, quae jam in primo, nec raro in secundo mali stadio accedit, affectio est organorum respirationis inflammatoria, qua re typho medendo saepius impedimentum affertur, quia remedia his duobus morbis adhibenda plerumqne inter se differunt.

STADIUM NERVOSUM.

Aegrotus primo de capite valde obnubilato, vertigine, aurium sonitu, saepe etiam tarditate conqueritur, ad quae deliria, insomnia, postea tendinum subsultus, carphologia insuper adveniunt; aeger linguam simul trementem haud facile potest emittere, saepe eam removere negligit.

Symptomata autem nervosa, ut fere fieri solet, torporis habent naturam: aegroti passivam corporis positionem magnumque stuporem prae se ferunt; oculis enim semiapertis extensi supine jacent, clara tamen voce vocati paullisper resipiscunt, et de valetudine interrogati, sese bene valere semper respondent; interdum deliria mussitantia animadvertuntur.

Sin autem febris erethismi indolem pronuntiat, id quod saepissime non accidit, in aegrorum habitu agilitatem quandam perturbationemque nanciscimur, quibus deliria loquacia assiduaque,

praecipue, illa sub noctem vehementiora, sese adjungunt. Praeterea aegroti tegmentum semper vellunt, resque de eo auferre videntur, quamquam nihil adest (carphologia).

STADIUM CRISIS.

Cum typhus abdominalis sanitate restituta finitur, hoc die quarto decimo, vel vicesimo primo, vel vicesimo octavo, vel diebus horum spatiorum mediis, dum hoc tempore critica morbi accessio apparet, fieri solet. Quae momenta critica, a multis quidem medicis negata, praecipue in cute, multo totius corporis sudore manante, dum simul febris remissio evadit, animadvertuntur. (Distinguendus enim hic sudor est ab illis praetereuntibus tantum symptomaticisque, qui nonnullorum morborum proprii sunt.) Illi autem sudores documenta certissima sunt, impedimenta corpo-

ris anomala esse superata naturamque ad integrum redituram esse.

Quoddam crisis supplementum interdum pustulae et furunculi in regione dorsi efficiunt. Nec nunquam crisi cutis urina in vase desidens accedit, quod si fit, urina large fluit multumque continet mucum.

Ad accessionem autem cutis criticam quietus dulcisque somnus pro illis deliriis pertinet. Saepius haemorrhagiae e naribus et intestinis criticae, praesertim inter homines corpore validos animadvertuntur, quae tamen profluvia non vehementiora esse debent, ne aegroti vires ad crisin perficiendam nimis conficiantur.

Aliud signum criticum, in typho abdominali interdum observatum, est parotitis, quae quidem non celeriter discedit, sed ad suppurationem vertitur, ne largiore puris secretione nimis vires aegroti debilitentur.

Quod ad crisis stadium spectat, tempus septem dierum complectitur. Mirum est, quod quum crisibus finitis, aegrotus ad sanitatem re-

vertit, duae potissimum corporis cupiditates egregie excitantur: ardor edendi et genitalium impetus. Apud feminas quoque interdum menses copiose fluentes ac praeterea mammarum secretionem, quamquam graviditas non aderat, animadvertimus.

Si vero typhus non redit ad integrum, complures morbi secundarii exoriuntur, inter quos praecipue affectiones in intestinorum membrana mucosa, nempe obstructiones alvi perdurantes, aut diarrhoeae, saepe quoque phthisis intestinorum et blennorrhoeae pulmonum chronicae, quin pneumophthisis, ceteroquin organorum sensuum morbi, quorum tarditas aurium, animi vigor obtusus, rarius amaurosis. Praeterea autem evenit, ut typhus abdominalis morbus quasi depuratorius fiat, dum alii corporis status pathologici typho tolluntur, qui imprimis ad morbos nervorum chronicos, exempli causa ad hysteriam, hypochondriam, epilepsiam, referuntur.

Quodsi typhus exitum habet lethalem, id quod in stadio tertio potissimum fieri solet, aut

cerebri paralysi per congestiones illuc tendentes, aut virium vitalium exinanitione, febri et vehementibus diarrhoeis adducta, efficitur. Saepissime autem mors incidit, quod ulcera intestinalia membranam intestinorum mucosam diruunt, dum intestina ulceratione perforantur, aut phthisis intestinorum oritur.

AETIOLOGIA ET PROGNOSIS.

Morbus, qui cum ante pubertatis annos, tum post annum aetatis tricesimum usque ad quadragesimum haud fere invenitur, multo saepius apud viros, quam apud feminas exsistit, maximeque tempore aestivo vagatur.

Aegrotationis typhosae causae non admodum perspicuae sunt, maximaque e parte in conjecturis nituntur. Hoc quidem est manifestum, contagium quoddam typhosum esse, quod prodeat ax aëris viribus, verbi causa inundationibus,

domiciliorum aëre non salutari malis, putridis effervescentibusque cibis, aqua potu non sulubri.

Causae typhum provocantes habendae sunt madidus corporis uvidusque aëris status, e quibus affectiones rheumaticae, catarrhales, gastricae proficiscuntur, quae in statum typhosum desinunt.

Quod typhi abdominalis prognosin attinet, maxima cura adhibenda est, et Peter Frankius recte dicit, medicos in febribus nervosis multis atque adeo faustissimis symptomatibus ad prognosin bonam statuendam nondum moveri posse.

In universum tamen prognosis bona est, si stadia singula secundum ordinem decurrunt, si nullae complicationes, ut congestiones ad cerebrum, organorum respirationis affectiones adsunt, et si aegroti jam in stadio morbi primo medicum advocandum curant.

At vero prognosis mala dicenda est, quum pulsus frequentius vibratur, diarrhoeae non deminuuntur nec sudores large fluunt; quum aegroti vires nimium confectae sunt, et quod sae-

pius usu venit, in stadio secundo intestinorum haemorrhagiae non adveniunt. Ceterum prognosis pejor est apud feminas quam apud viros, imprimis apud feminas hysteria et chlorosi affectas, aut si crisis stadium et mensium tempus conveniunt, quia hoc modo discrimen naturae criticum perturbatur.

C U R A.

Typhi abdominalis curatio alio tempore aliter instituta est; pristini enim medici typhum morbum esse, cui venenum quoddam, in corpore genitum subsit, putabant, quare aegrotis antidota praebebant, alii medici putredinem in sanguine sitam, quocirca remedia antiseptica impendebant; alii inflammationem, quapropter cura antiphlogistica et venaesectionibus crebris utebantur; alii postremo morbum systematis nervorum ducebant; quam ob rem ad remedia irritantia confugiebant.

Morbi natura supra satis explicata est, cujus habita ratione de morbo curando dicturus sum. Quae jam cura morbi stadiis accommodatur: in stadio primo ab horripilatione, quam deinde, ut fieri solet, ardor continuus subsequitur, incipiente, (plures enim frigoris ardorisque accessiones et remissiones in stadium prodromorum referuntur, et stadium primum seu inflammatorium a novissimo frigore numeratur), multi typhum adhuc coërcere, aut saltem eum levare conati sunt. Nam medici sunt, qui hoc fieri posse existiment, alii autem illud pernegant. Attamen re vera nonnunquam morbi coërcitio, ita ut stadium nervosum non erumpat, contingit. Quo consilio remedia diaphoretica dabantur eaque talia, quae et recta via et indirecta valerent, veluti emetica eam vim in cutem exercent, ut nervorum perversitas demoveatur et cutis functiones exstinctae revocentur. Inter emetica autem medici Ipecacuanha, pauco tartaro stibiato addito utuntur, ne intestinorum membrana mucosa valde irritetur.

Quae remedia prophylactica credita num morbum semper coërceant, non satis cognitum habemus et dubium est, an morbi coërcitione effecta, tam levis fuerit exiguusque morbus, ut sine illis remediis quocunque modo curari potuisset. Hoc quidem exploratum est, emetica in stadio typhi abdominalis gastrico oblata saepissime efficacia esse, quod materias corpori alienas, quibus morbus alitur, evacuant, quemadmodum, dum sudorem excitant et nervos commovent, loco alterantium funguntur.

At vero quod ad hydrargyrum muriaticum mite, recentissimis temporibus ad typhum abdominalem coërcendum dosibus majoribus scrupuli unius ter quaterve quotidie adhibitum, spectat, ejus effectus a medicis diverse explicati sunt. Alii enim putant, illud remedium tanquam antiphlogisticum valere, itaque etiam prohibere, ne inflammatio in intestinorum membrana mucosa in exulcerationem vertatur; alii autem effectum Calomelanos praecaven-tem non tam in viribus ejus antiphlogisticis (quem effectum iidem tan-

quam inutilem obnoxiumque rejiciunt), quam in laxantibus situm censent, quibus fluida cruda in intestinis orta quam celerrime removeantur, ut eorum resorptio prohibeatur.

Attamen utcunque res se habet, in primo stadio morbi, praesertim in ejus exordio ratio medendi modice antiphlogistica apta est; postea autem eadem exsistit inutilis, imo omnino non potest probari, nisi forte alia symptomata rationem antiphlogisticam prorsus postulent; sed cavendum est, ne quis ad curam antiphlogisticam adhibendam pulsu tantum, qui nonnunquam subito robore plenitateque privatur, adducatur, aut venam incidat, vel salia media, quae membranam intestinorum mucosam irritant, aegro proponat. Saturationem vulgarem, remedio mucoso conjunctam, pauca narcotici frigidi quantitate addita porrigi consentaneum est; quae remedia modice refrigerantia, non concitantia praecipueque nervos ventriculi maxime atque intestinorum mitigantia recte adhiberi possunt; praeterea acida mineralia, imprimis acidum muriaticum, aut

aqua oxymuriatica, quae remedia chloro, qudo in eis inest, locum inter remedia tonica et irritantia obtinent, et sanguinis decompositionem dissolutionemque prohibent, nisi forte pulmones male affecti acidis adhibendis omnino impedimentum afferant.

Congestiones capitis hirudines ad frontem et pone aures applicatas, fomenta frigida capiti admota, superfusiones etiam frigidas volunt. Si aeger de dolore regionis iliacae dextrae conqueritur, hoc loco hirudines, vel cucurbitulae cruentae applicandae, vel frictiones cum unguento hydrargyri cinereo et cataplasmata herbis narcoticis mixta adhibenda sunt.

Si jam sub finem stadii primi illae diarrhoeae aegrotum conficientes apparent, remedia adstringentia simulque non irritantia, inter quae ferrum muriaticum, alumen crudum, plumbum aceticum, et si vires valde concidunt pulsusque debilitatur, remedia tonica impendi debent, verbi causa radix Colombo, cortex Cascarillae, interdum etiam cortex Chinae.

Cura febris hujus ipsius naturae, interdum erethisticae, saepius autem torpidae accommodanda est; si illa febris natura exsistit, ubi aegroti irritabilitas, dum ejus vires infirmae sunt, augetur, Valeriana utimur, cui si vasorum concitatio non magna et capitis congestiones desunt, si permagna insomnia deliriaque perdurantia exsistunt, exiguas Opii portiones, sin vehemens est pulsus irritatio, Morphium aceticum, extractum Hyoscyami similiaque admiscemus.

Cum autem febris torporis naturam prae se fert, cum magnus sopor et deliria mussitantia adsunt, Serpentariam, Angelicam, Arnicam proponimus, quibus remedia aetherea, ut aether sulphuricus aliaque, Opium ipsum in minoribus dosibus adduntur.

Quum jam paullatim crisis stadium appropinquat et aegroti vires ad illam eliciendam non sufficiunt, cutis arida, vel flaccida et languida apparet, et frigidis tenacibusque sudoribus obtegitur, pulsus parvus debilisque est, quum irritabilitas et virium reactiones eodem

modo collabuntur, Camphora est adhibenda; ubi autem irritatio nervorum spastica magna, pulsus frequens, vasorum concitatio magna est, moscho, eoque in majoribus ac saepius porrectis dosibus utimur, cui in his rebus alia remedia irritantia addimus, praecipue salia ammoniaca, velut ammonium carbonicum, ammonium succinicum.

Si tali modo, ut cutis crises eliciantur, contingit, natura ad eas perficiendas adjuvanda est remediis, quae cutis secretionem augent, quod efficitur et potionibus tepidis, non irritantibus, et remediis diaphoreticis, quae sunt ammonium muriaticum, ammonium aceticum, kali aceticum, et balneis calidis et superfusionibus tepidis, cerebri illis pulmonumque statui semper accommodatis, et remediis cutem externe irritantibus, ut sinapismis, lotionibus cum aromaticis et aëthereis remediis, quae pro aegroti habitu per crisis stadium mutanda sunt, dum aegri vires ad crisin perficiendam remediis modice roborantibus levibusque nutrimentis sustentamus. At cavendum est, ne aegro alimenta remediaque

praebeantur, quae intestinorum secretionem augent, quia minus est periculum, si aegrotus ex alvo minus soluta laborat, quam si membrana intestinorum mucosa, adhuc valde irritabilis, ad secretionem irritatur. Quo in casu perquam est probabile, clysmata ex aqua tepida et oleo olivarum parata applicari.

VITA.

Eduardus Ludovicus Schroeder, evangelicae addictus confessioni, natus sum Stargardiae, Pomeraniae oppido die septimo Calendas Junias anni MDCCCXV patre Ludovico, medico militari, matre e gente Hermeson, quam praematura morte ereptam lugeo. Gymnasium Neosedinense, quod tunc temporis directore Beat. Kaulfuss, postea directore Giesebrecht, viris illustrissimis florebat, per quinque annos frequentavi.

Testimonio maturitatis instructus anno MDCCCXXXVII mense Aprili Berolinum me contuli, ubi inter cives Academiae regiae medico-chirurgicae receptus, per quadrienninm hos viros

illustrissimos celeberrimosque disserentes audivi: Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice, psychologia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia, de medicinae historia; Ill Link de botanice et historia naturali; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. Schultz de botanice; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et de anatomia organorum sensuum; de anatomia universa et comparata, de physiologia Ill. Mueller, qui idem cum Ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi mihi dux fuit.

Praeterea has frequentavi scholas: Cel. Eck de physiologia, de pathologia et therapia generali et de semiotice; Ill. Osann de materia medica, de fontibus soteriis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de syphiliticis et psychicis morbis; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi; Cel. Kluge de arte fascias rite imponendi, de

ossibus luxatis et fractis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de akiurgia; Cel. Froriep de anatomia chirurgica, de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Beat. Rust de chirurgia.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum: Cel. Wolff jun., Ill. Schoenlein, Cel. Truestedt, Ill. Beat. de Graefe, Ill. Juengken, Cel. Kluge, Ill. Wagner. Quibus omnibus viris honoratissimis, optime de me meritis, gratias maximas ago, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso superatis, spero, dissertatione thesibusque rite defensis, summos in medicina et chirurgia honores in me collatum iri.

THESES.

1. Iridectomia iridodyalysi et iridoparelkysi anteferenda.
2. Ptyalismum in Mercurio adhibendo laetum signum esse nego.
3. Febris quaedam inflammatoria eruptioni exanthematis syphilitici semper antecedit.
4. In eodem morbo compluribus saepe sibi contrariis methodis curatio effici potest.
5. Vulnera pectoris statim claudenda.